Illuſtriſsime Domine.

DON Gregorius de Leyza,& Eraſo,Iuris Canonici Doctor, Prior, & Canonicus Eccleſiæ, Collegiatæ Inſignis, Oppidi de Mora, Turolenſis Diœceſis,Regni Aragonum;Rector ac Procancellarius Studij; Generalis ; & Vniverſitatis Cæſarauguſtanæ , Regiâ , & Pontificiâ facultate ſublimis ; anno præſenti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono : Dominationis veſtræ Devotus humilior , exponit ; quod per Statuta ſuæ Eccleſiæ , Apoſtolica etiam firmitate laudata , licet eidem abeſſe ab Eccleſia per tres menſes , ſingulis annis , diebus etiam interpollatis , aut continuis, fructus , redditus , & emolumenta Prioratus quæcumque,abſentia trimeſtri non obſtanti, lucrando cæteris autem menſibus , niſi legitimè impeditus, aut negotijs , & legatijs Eccleſiæ, vaccans, minime lucratur: Verum quiâ annali hâc Dignitate,& functione Rectoratus Cæſarauguſtani (Metropolitanæ Eccleſiæ Dignitatibus , & Canonicis ſolita irrogari)bono publico,& Regimini tantæ Vniverſitatis inſerviens,Eccleſiæ Morenſi (per tres, & amplius dietas â Cæſarauguſtâ Vrbe diſtanti)intereſſe nequit,neque fructus, & emolumenta,quę abſentiæ legitimæ,& rationabili,(nec affectatæ,aut quæſitæ)correſpondeat,acquirere , niſi ſpeciali gratia,

&

& favore Vestræ Benignitatis suffulctus; id circo ad infrascriptam consequendam, supplici prece, sistit Orator: Vrget enixius, ad moram Cæsaraugustæ protrahendam, nuperrima vestra, & Apostolica Commissio in Causa quadã Appellationis â Sententia Officialis Metropolitani, super Beneficio Ecclesiastico Loci de Valjunquera, Cæsaraugustanæ Diœcesis, Nobis vnicê directa, (quamvis duplici Prioratus, & Rectoratus Officio seiuncta) sub datis Matriti, die 5. Iannuarij, labẽtis anni, & legitimê præsentata, die nona eiusdem, & reverẽtia, qua decuit, per Nos acceptata, & executioni debitæ amandata: Accedit, quod Rectoris Officiũ salarium nullum certum habet; onerosi honoris munus est; obventitias rarô graduum propinnas merê suscipit. Laxat etiam æquitatis habenas, quod hæc Magnificientia, quamvis annalis, in aliquem propiæ Ecclesiæ, cui præest, decorem, & splendorem resultat, & Scholarum Regimen, & juventutis candidatæ educatio; Excellens quoque munus edocendi Sacram paginam, divinam Logiam, plurimis gratijs, & favoribus ab Apostolica Sede cernitur insignitum, ad fructus in absentia percipiendos; nec demerebitur Doctorum Princeps, Caput legentium, & Studij Præses quæ singulis indulta Magistris, Nobilium facultatum: Supplicat ergo Illustrissimam Vestram Dominationem, quatenus dignetur Ecclesiæ Morensis residentiam, per sex tantum menses, dispensare, ita vt absens, causa hac publica totius Regni, quam non effugit Ecclesia, & Diœcesis, â qua abest, possit fructus, & emolumenta Prioratus percipere (quotidianis distributio-

tio-

tionibus dumtaxat exceptis) ac si ibidem personaliter resideret; additis enim his sex mensibus gratiosis, tribus illis legalis Beneficij. Non solum Rectoratus munus, sed instantiæ secundæ cœptum opus ad effectú perducere, & fœliciter implere, in Domino confidit, si Vestræ Clementiæ, vt sperat, favorem amplissimum iugiter experiatur. Deus Optim. Maximus Dominationem tuam servet incolumem, & Sedi Apostolicæ gratiorem præ cunctis alijs.